

cesserimus in nobili hoc certamine, prudentia gubernabit negotium, ut & porro procedat bene, constantia perducet ad vitae finem, & ad ultimam illam horam. Sic fiet, ut ciues Dei ope adiuti rectae rationis non formidine seruili, sed reuerentia filiis digna propter potestatem Dei excitati, quod iustum est, usque agant, & promte, iucunde & perpetuo agant. Atque hoc tum signum, hic character habitus iustitiae est: fructus vero interius exteriusque pariter bene habere, & tranquillitate frui.

§. 47. Proposui meam de eo, quod naturaliter iustum est, sententiam, nullius auctoritatem, solam sectatus veritatem, prout ea natura humanis mentibus cognita videtur, ipsisque adeo gentibus perspecta. Unde non mirum, quod eius passim dispersi radii legantur, non in antiquorum modo, sed & recentium obuii monumentis. Adducere eos, ubi magis, quam nunc, conueniet, possum, & monstrare, quā non incongruum sit, si rite prius ratiocinando inuestigata sint, quoad licet, omnia, veteres autores cum nouis conferre. Nam statim, ubi de re aliqua dicendum est, ruere caeco imperu in libros, eque singulis quae forte arriserint, compilare, nihilque ex sua proferre penu, hunc qui electicum putauerit esse modum philosophandinae is in ipso limine offenderit. Ratio, ratio ante omnia est consulenda, non, quod hic vel ille statuerit, pro oraculo mox habendum, & quod cum eo non conuenit, pro falso. Sed is plerumque hodie mos est multorum ex iis, quos Pufendorffiana imbutos esse constat doctrina: si quis ab ipsorum decretis magistri recedat, remque proponat paulo aliter, hunc stolidum illico clamant, & imperitum esse, hunc moralem Philosophiam ignorare. Sancte tractemus hoc opus, exploremus nostros animos, conferamus inuicem modeste; veritatem quaeramus solícite, inuentam mature ad usum transferamus, ut ex ipso interiori sensu possimus loqui. Ita demum fiet, ut maius incrementum sapientia capiat, cuius principium reuerentia est ac timor Dei, finis felicitas hominum, & conseruatio generis humani.